

Anonymous<sup>1</sup>

Manuscript: **Sankt Florian Stiftsbibliothek MS XI. 262, f. 245v-246r**

[Thema] *Bonus pastor animam suam* etc. [Jn 10, 11].

Beatus Stanislaus in verbis istis commendatur a duobus:

<1> **primo** commendatur a **vite merito sive dignitatis officio**;

<2> **secundo ab amoris premio sive illustri martyrio** cum subditur: *animam suam ponit*.

Unde ordo iste congruus est, quia homo primo debet mereri, postea remunerari. Unde filiis Zebedei hunc ordinem preposterantibus, dicitur [Mt 20,22 et Mk 10,38]: *nescitis quid petatis*.

Volebant enim prius regnare quam mererentur, sed certe [2 Tim 2,5]: *nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Unde Apocalypsis *Vincenti dabo* [Ap 2,17 or 2,7] etc.

Dicit ergo *bonus pastor*.

<1> Circa quod notandum, quod **vite meritum tria commendant** in beato Stanislao.

<1.1> **Primum est perfectio sanctitatis**, quam exhibuit in exemplis.

<1.2> **Secundum est amor iusticie sui<sup>2</sup> veritatis**, quoniam tuitus est pro pupillis.

<1.3> **Tercium est odium iniquitatis**, quod detestatus est in perversis.

<1.1> **Primum, scilicet** perfectionem sanctitatis attestantur **[b]** in ipso facta miracula, que adhuc vivens fecit, quia mortuum ante multa tempora defunctum, ut testimonium redderet de bonis que tyrannus beato Stanislao iniquo iudicio usurpabat, suis meritis suscitavit. Unde de ipso potest dici illud Ecclesiastici [31,9]: *Fecit enim mirabilia in vita sua*. Nec mirum, quia dicit Dominus in Iohannis [14, 12]: *qui credit in me, opera que* etc.<sup>3</sup>

<1.2> **Secundum**, scilicet amorem iusticie attestatur in ipso animi strenuitas, quia se duci opposuit crudelitatem ipsius arguendo, qui humanitatis oblitus, inhumanitatem seviebat, quia infantes ab uberibus matrum avellebat et catulos lactandos apponebat. Cui beatus Stanislaus ut verus pastor gregis sui se opposuit ius nature et ordinem pervertenti legerat illud Ecclesiastici [4,33]: *Pro iusticia agonizare* etc.

<1.3> **Tercium, scilicet** odium viciorum attestatur in eo prolata contra impium ducem excommunicationis sententia, qui relicto thoro coniugali, *crimine pessimo* laborabat, de quo Ioseph *fratres suos accusavit*, ut dicitur Genesis [37,2]. Unde beatus Stanislaus tradidit eum sathane anathematis gladio feriendo. Dicit ergo *bonus pastor*.

<2> **Secundo commendatur beatus Stanislaus ab amoris premio sive illustri martyrio**, quia semper est *preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius* [Ps 115,6]. Notandum autem, quod eius mortem sive martyrium illustrant et reddunt preciosam adminus quattuor, scilicet **causa, locus, tempus et de celo facta prodigia**.

<2.1> **Causa**, quia non pro commodo temporali neque pro lucro, sed pro iusticia, exemplo summi pastoris animam suam ponit pro ovibus suis [cf. Jn 10, 15]. Unde bene dicitur bonus pastor, non mercenarius, qui fugit lupo veniente [cf. Jn 10, 12-13].

---

<sup>1</sup> Sermon no. XVIII in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

<sup>2</sup> Sic!

<sup>3</sup> Cf. Jn 14,12: *qui credit in me, opera que ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado*.

<2.2> **Locus passionis**, quia in ecclesia stans ad aram mortem sustinuit, exemplo Zacharie filii Barachie, qui occisus est inter templum etc.,<sup>4</sup> et satis digne; decuit enim ut in ovili pastor ovium pro ovibus moreretur.

<2.3> **Tempus** quo passus est, quia infra missarum sollemnia tempore sacrificii, quod offerebat pro populo, obtulit seipsum hostiam Deo vivam, iuxta consilium [**f. 246r**] Apostoli Ad Romanos [Rom 12,1], ubi dicit: *Obsecro vos per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.*

<2.4> Quarto reddunt eius mortem preciosam **de celo facta miracula**, quia dum corpus eius membratim divisum spargeretur, super quamlibet particulam radius lucis descendit singularis, et a quattuor plagis terre quattuor aquile venientes corpus eius custodiebant a bestiis, donec collatum in simul divino miraculo ut prius est integratum sicque sepultum. Sic ergo *mirificavit Dominus sanctum suum* [Ps 4,4] tam in vita quam in morte, et nunc *beatificavit illum in gloria* [Sir 45,8].

---

<sup>4</sup> Cf. Mt 23,35: *ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti ad sanguinem Zacharie, filii Barachie, quem occidistis inter templum et altare.*